Programm

des

Progymnasiums in Demmin

für das Schuljahr von Ostern 1867 bis dahin 1868,

womit

zu der öffentlichen Prüfung der Schüler,

welche

Donnerstag, den 2. April, Vormittags von 9 bis 1 Uhr, im Saale der Anstalt

stattfinden wird,

die vorgesetzten Behörden, die Eltern der Schüler und alle Freunde des Schulwesens

im Namen des Lehrercollegiums

ehrerbietig einladet

der Director Schmeckebier.

Inhalt:

1) Ciceronis vita, inter turbas belli civilis acta.
2) Schulnachrichten.
(Beides vom Director Schmeckebier.)

Demmin 1868.
Gedruckt bei W. Gesellius.

Ciceronis vita,
inter turbas belli civilis acta.

Ex omnibus rebus gestis, quae veterum temporum memoria nobis sunt traditae, nescio an nulla sit, quae scriptorum nostra aetate florentium industriam magis exercuerit, quam praeceps liberae reipublicae Romanae interitus. Nec merito id ita factum negabimus. Est enim et ipsa res consideratione ut maxime digna, et habet, quae nostrorum temporum naturae tam sint propinqua et cognata, ut, si nomina omiseris, de recentium civitatum fatis disseri liceat suspicari. Occurrit eadem agendi et cogitandi ratio, occurrunt eadem studia eaedemque cupiditates, occurrunt eaedem occidentis reipublicae Romanae causae, quibus et nostris temporibus civitates imminutas videmus. Quid enim? Roma libera esse desiit, quum libertate digna esse desisset; sui juris esse destitit, quia factionibus plus juris, quam debebat, concesserat; unius viri perpessa est dominatum, postquam legum vires et auctoritatem infringi passa est. Nostrorum temporum certaminibus interesse nobis videmur, ubi varias, quae de principibus illius temporis viris ferebantur, sententias inter se comparamus. Illud fortasse mireris, quid sit, quod, quum praestantiores antiquitatis scriptores fere ex Pompeji partibus steterint, recentiores tantum non omnes cum Caesare faciant. Profecto non multum abest, quin Drumanni, Momsenii, Ludovici Napoleones viri victoris ingenium ad divinitatem tollant. Quae viri haud dubie magni adoratio, cum genii cultu quem nostrates dicunt conjuncta, quamquam habet, quo animum nostrum offendat, tolerari tamen potest; modo ne superba quaedam contemptio omnium eorum, qui ex altera parte steterant, admista sit. Jam vero eidem illi scriptores eorumque sectatores, ut istum suum heroem majoribus laudibus efferre possint, non solum in Pompejum, verum etiam in alios, qui ut in ista tragoedia secundas partes egerunt, ita de republica multis modis bene meruerant, vehementissimos exacerbatae irae impetus effundunt. Inter eos, quibus suis artibus lauream tot saeculorum consensu tributam eripere conati sunt, principem fere locum Cicero obtinet, in quem omnes verborum

contumelias conjicere isti non dubitant. Nos vero rerum gestarum dignitatem non ex uno eventu dijudicandam, sed res ipsas et consilium quo erant susceptae, et justitiam causae defensae ubique respicienda esse judicamus. Itaque imposito nobis scribendi officio in ea, qua laboramus, otii et librorum penuria constituimus Ciceronis vitae eam partem, quae inter turbas belli civilis acta est, pertractare. Quo munere ita nobis aptissime perfuncturi videmur, ut quum primo ipsam nostri vitam enarraverimus, tum, si locus et otium suppetat, de obtrectatorum Ciceronis criminationibus dicamus. Operis propositi ratio fert, ut praecipue epistolas ad Atticum datas sequamur et libris, quos Cicero hoc tempore multos scripsit, leviter tantum tactis in rebus gestis, quae ad rempublicam spectabant, explicandis versemur. Agimus igitur

I. de ipsa Ciceronis inter belli civilis turbas vita.

Jam vero ne factorum seriem atque perpetuitatem turbemus, res paulo altius repetendae erunt. Idcirco ab anno urbis conditae 702 ordiemur et quinque partibus enarrationem nostram absolvemus. Agemus enim de Cicerone

1. Ciliciae proconsule,
2. primo belli civilis tempore in Italia reside,
3. in castris Pompeji versante,
4. sub Caesaris dominatu in literarum studiis delitescente et
5. post Caesarem interfectum ad respublicas reverso.

1. De Cicerone Ciliciae consule.

A mense Majo anni 703 usque ad Januarium mensem anni 705.

Pompejo tert. cos. (702 p. u. c.) lata erat lex, ne qui magistratus ante quintum quam munere decessisset annum in provinciam abiret. Quod ut fieri posset, quicunque viri consulares provinciali munere nondum essent functi, anno sequente ad illud administrandum proficisci jussi sunt. Ea lex etiam ad Ciceronem spectabat. Nam quum industriae urbanae omnem qua florebat gloriam deberet, provinciae praeesse nunquam voluerat. Jam igitur et ipsi urbe erat decedendum, sortitusque Ciliciam ad eam administrandam ineunte mense Majo anni 703 (Servio Sulpicio Rufo, M. Claudio M. f. Marcello coss.) profectus est. Decessus ejus in ipsum reipublicae discrimen incidit. Prius enim quam Italia excessit, senatus auctoritas conscripta erat, ut Caesari Gallias obtinenti succederetur. Tarenti, quo a. d. XV. Cal. Jun. venit, Cicero triduum cum Pompejo et apud Pompejum multa de reipublicae ratione disseruit, ad cujus pericula propulsanda illum se paratissimum invenisse Attico suo scribit. Quae res Ciceronis animum

haud mediocriter movit. Magnas enim Caesari pecunias debebat et *ἄτοπον* ei visum est *ἀντιπολιτευομένου χρεοφειλέτην εἶναι*. Rogabat igitur amicos, ut qnae ipse Caesari deberet HS viginti et octoginta solvenda curarent, sed frustra in ea re laborasse videtur. De reipublicae statu quid ipse judicaverit, ex literis ejus satis patet. Nullas enim hoc tempore dedit, quin summis Pompejum laudibes ornaret, illud unum nonnunquam vituperans, quod majorem Caesari vim concessisset. Cavendum tamen omnibus modis censebat, ne istis ex simultatibus civile exoriretur bellum, quo Caesarem facile superiorem fore cognovit, meliorem causam defendente Pompejo. Qua potissimum reipublicae conditione factum est, ut Ciceronem provincialis officii taederet, quum eam operam, quam in ipsa urbe reipublicae se praestare posse confideret, multo pluris faceret. Huc accessit, quod ipsi duae tantum legiones et eae ne integrae quidem praesto erant, quum Parthorum copiae maximae ex victoria de Crasso relata superbientes Ciliciae minarentur. Laodiceam in provinciam Cicero pridie Calendas Sextiles pervenit. Neque erant contemnendae res, quas in ea gessit. Compositis enim cum summa justitiae et moderationis laude urbium illarum contentionibus liberatisque provincialibus gravissimis usuris falsoque aere alieno exercitum in castra, quae prope Iconium facienda curaverat, coëgit. Ibi quum versaretur, Parthos in Syriam irrupisse nuntiatum est. Quorum impetum ut a provincia sua removeret, illico accitis Dejotari regis militibus Cybistra profectus est ibique, ut saltus tueretur, castra firmissima ponere incepit. Qua in re quum dies quinque occupatus esset, certior est factus, Parthos ab illo aditu Cappadociae longe abesse Ciliciae magis imminere. Itaque confestim iter in Ciliciam fecit per Tauri pylas. Tarsum venit a. d. III. Non. Oct. Inde ad Amanum contendit, qui Syriam a Cilicia dividebat. In quem montem hostium dominationis Romanae plenissimum a d. III. Id. Oct. impetum fecit, et magno hostium numero occiso castella montanorum munitissima alia incendit, alia vi expugnavit. Quo facto a militibus Imperator est appellatus. Sed pulchrior etiam, quam vana illius nominis gloriola, erat fructus, qui ex ea victoria relatus est. Aucto enim Romano nomine Osaces, Parthorum dux, pedem retulit eaque re Cassio, qui Syriam obtinebat, opportunitatem rei bene gerendae dedit. Qua victoria Parthici belli timore liberatus Cicero Pindenissum, quod oppidum munitissimum Eleutherocilicum erat, invasit et post oppugnationem quadraginta septem dierum cepit.

Res a se gestas Cicero posterioribus temporibus ne ipse quidem ita magni fecit, illud unum sibi vindicans, quod exercitu imbecillo contra metum maximi belli firmissimum habuisset praesidium aequitatem atque continentiam. Illud enim ne inimici quidem negare ausi sunt, provinciam ab eo integre summaque cum laude esse administratam. Provincialis vitae quum eum pigeret, iterum atque iterum ab amicis petivit, ne

magistratus sibi prorogaretur. Et quod petiverat, assecutus est. Provincia excessit a. d. III. Cal. Sext. L. Aemilio Paullo, C. Claudio Marcello coss. (a. 704 p. u. c.); Brundusium pervenit a. d. VII. Cal. Decemb. Cicerone etiam in Asia versante Tullia Dolabellae nupsit, quae res ut non prorsus ex patris voluntate facta erat, ita in varias hominum reprehensiones incidit, quum gener suspectae fidei et morum perditorum vir esse videretur. Pro rebus in Asia gestis Cicero triumphi honores affectabat. Qui quidem ei non contigerunt; concessa autem est supplicatio, renitente Catone, qui, quum maximis in senatu Ciceronem laudibus ornasset, laudari in senatu honestius sibi videri ajebat, quam agere triumphos. Ad urbem accessit prid. Nonas Januarias L. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo coss. (a. u. 705). Obviam ei sic est proditum, ut nihil posset fieri ornatius. Sed incidit in ipsam flammam civilis discordiae vel potius belli, ut ipse praesagiens dicit.

2. De Cicerone primo belli civilis tempore in Italia reside.

A mense Januario usque ad mensem Sextilem anni u. 705.

Cicero in urbem redierat, in qua prae ceteris florere solitus erat. Sed ea urbs parum laetam redeunti faciem praebebat. Jam enim quum Pompejum a d. IV. Idus Decbr. convenisset, omnia ad bellum vergere intellexit. In hoc discrimine ab initio Cicero neutrius partis esse volebat, quippe qui, quum utriusque uteretur familiaritate, se pacem inter Pompejum Caesaremque conciliare posse speraret. Pace enim prae ceteris opus esse intelligebat, ex victoria quum multa mala, tum certe tyrannum exstiturum. Tota quidem vivendi et cogitandi ratione Cicero magis ad Pompeji partes trahebatur. Nunquam enim optimatium partes non summa cum industria erat tuitus, Pompejo familiaritate addictus, admiratione devinctus erat, quum a Caesaris studiis de republica jam a conjuratione Catilinaria susceptis revocaretur. Atque tamen erant multa, quae vel huic adversario eum deligarent. Erat caput, quod Caesari debebat, neque solvere potuerat, erat Dolabella gener, erat Caesaris, quae dicebatur, cum Cicerone amicitia. Neque mediocrem Caesar operam navavit, ut tantae auctoritatis virum aut sibi conjungeret, aut ut partis esse vellet neutrius permoveret.

Inierant magistratum novi consules, allatae erant minaces Caesaris ad senatum literae, aufugerant ad Caesarem amici ejus Antonius, Curio, Cassius, quum consulibus, praetoribus, tribunis, consularibus omnibus viris negotium esset datum, ut viderent, ne quid respublica detrimenti caperet, expulsos sese neglecta ipsorum intercessione dictitantes. Majore nunquam in periculo respublicae Ciceroni versata esse videbatur; et recte id quidem. Servata enim libertatis specie respublica Romana unius viri facta est. Caesar violatorum tribunorum auctoritate usus nulla interposita mora Rubiconem trajecit

tantaque celeritate cum exercitu iter fecit, ut Pompejus cum universo senatu, ne in ipsa urbe caperetur, relicto aerario in Italiae partes remotiores confugeret. Factum est hoc eodem prope die, quo Labienus a Caesare defecit, qui si paucis diebus ante, quam vere factum est, Romam potuisset venire, haud dubie multum ad confirmandos senatorum animos valere poterat. Vix autem dici potest, quantopere senatus ista praeceps fuga optimum quemque et prae ceteris Ciceronem pupugerit. Una enim in urbe reipublicae auctoritas sita esse videbatur. Quae quum ita essent, tamen Cicero Pompejo addictus esse non desiit et munus periculosum ab eo sibi imponi passus est. Volebat enim Pompejus Ciceronem esse, quem tota Campana et maritima ora haberet ἐπίσκοπον et ad quem delectus et summa negotii referretur. Suscepit quidem Gicero provinciam sibi mandatam, sed, simulatque advenit, eam sine exercitu omnino teneri non posse intellexit. Itaque negotio destitit et privatus Capuae mansit. Huc accessit, quod in dies magis ἀστρατήγητον Pompejum cognovit, qui, quum omnis spes in duabus legionibus Caesarianis insidiose retentis contineretur, delectus vero esset invitorum et a pugna abhorrentium neque strenue bellum parabat et jam de relinquenda Italia cogitare coeperat. Terentiam uxorem et Tulliam filiam Cicero ab initio Romae reliquerat cura earum amicis in urbe residibus demandata. Jam eas in praedium Formianum avocavit, quo et ipse a. d. III. Cal. Febr. concessit, id cum animo statutum habens, ut, dum pacis esset spes, ibi maneret, sin bellum gereretur, ne officio deesset. Quare quamquam Attico suo iterum atque iterum scripsit, nihil actum esse a Pompejo sapienter, nihil fortiter, nihil nisi contra ipsius consilium atque auctoritatem; tamen quum ab eo in Apuliam evocaretur, profectus est. Sed quum Theanum Sidicinum venisset, ab amicis certior est factus, totam illam terram, per quam iter faciendum erat, Caesaris exercitu teneri. Itaque in Formianum suum redire coactus est.

Jam vero magis in dies cognitum est; Pompejum nihil nisi fugam in Graeciam meditari; quod si peregisset, Cicero, quid sibi esset agendum, valde dubitabat. Ad manendum enim in Italia laureati lictores, improvidi et negligentes Pompeji duces, cognatorum in primis preces hortabantur; ad fugam amicitia Gnaei, causa eorum, qui habebantur boni, tyranni incitabat horror. Quod quum ita esset, summam dabat operam, ut, si fieri posset, vel in hac extrema belli necessitate pax restitueretur. Nam quum datae essent ad ipsum Caesaris ejusque amicorum Antonii, Dolabellae generi, Coelii, aliorum epistolae; summa opera enixus est, Caesarem ut placaret, civilia removeret arma. Pervulgata est una ex epistolis, quam ad Caesarem dederat, et in vitium ipsi ab amicis Pompeji versum, quod non satis a reipublicae stetisset partibus. Quod etiamsi non pluris faceret, tamen prioris eum poenitebat consilii navemque parabat, qua

ad Pompejum clam effugeret. Sed retinuit tempestas procellosa, fortasse etiam nonnihil amicorum apud Caesarem versantium preces, qui rogare non desierunt, ne quid gravius de salute sua et incolumitate consuleret. Allatae sunt etiam Caesaris epistolae, in quibus ab eo petebat, ut pacis sese offerret conciliatorem. Eum in finem in urbem veniret ibique sibi negotia praestaret, quae rogatus etiam Pompejo posset praestare. At eam noster exhortationem sequi nolebat, ne judicasse de republica Caesarique ultro se tradidisse videretur.

In Formiano igitur praedio Cicero versabatur, quum ei nuntius allatus est, Pompejum Brundusio in Graeciam transisse victorique adversario Italiam universam cessisse. Caesar prima belli civilis parte mira cum felicitate composita, jam Romam rediit. In eo itinere etiam Ciceronem salutatum venit. In sermonibus vehementer eum urgebat, ut Romae adesset neve consilium suum reipublicae detrectaret. Quas preces ut effugeret, Cicero, qua ratione, si Romae adesset, in senatu sibi agendum putaret, exposuit; quod, si parum Caesari acceptum esset, concederet, ut prorsus ab urbe abesset Arpinique filio togam virilem daret. Caesar quamquam ista ratione de Pompejo verba fieri nolebat, tamen ut totam denuo rem secum reputaret, rogavit, subiracunde addens, si sapientissimorum sibi virorum consiliis uti non liceret, usurum, quorum posset, et ad omnia esse descensurum. His dictis verbis a Cicerone discessit paullo acerbior, quam solebat esse, neque tamen renegantis animum infregit. Cicero enim tantum aberat ut Romam veniret, ut, quum filio Arpini, id quod municipibus gratissimum fuit, togam dedisset virilem, multo acrius, quam fecerat antea, fugam pararet.

Quibus in cogitationibus quum versaretur, gravissimo affectus est dolore, quod Quintus filius consilio patrui perspecto literis ad Caesarem datis rogabat, ne Ciceronem in itinere pergere pateretur. Ea res quum et M. Ciceronem et Quintum patrem vehementer pupugisset, juvenis pietatem simulans ad ipsum Caesarem Romam contendit pluribusque patruum criminationibus persecutus est. Qua perfidia monitus Cicero cautius sibi agendum intellexit atque vere id assecutus est, ut vel familiarium sagacitatem deciperet. Sed in novam suspicionem vocatus est, quum trium cohortium Pompejanarum legati ad eum venerunt rogantes, ut ipsis praeesse vellet. Quas tantulas copias quum omnino nihil proficere posse intellegeret, legatos dimisit; ipse majore cum industria iter parare perrexit, jam nihil et Caesaris et Antonii epistolas curans. Antonius enim, quem Caesar in bellum Hispaniense discedens ad custodiendam Italiam Romae reliquerat, quum satis certos de Ciceronis consilio nuntios accepisset, epistola Ciceronem certiorem fecit, illud sibi munus a Caesare traditum esse, ne quem ex Italia ad Pompejum transire pateretur.

Movit Ciceronem in primis officium grati animi in Pompejum praestandi; nam quum hic aliquando saluti non defuisset suae, neque ipse Pompeji deesse voluit. Itaque ubi fugae facultatem bonamque navem sibi nactus esse visus est; ea uti non dubitavit. Návem conscendit III. Idus Junias, jam non ut Meliten, ut antea proposuerat, sed Pompeji ut castra peteret.

3. De Cicerone in castris Pompeji versante.

Inde a mense Sextili anni u. 705 usque ad ineuntem auctumnum anni 706.

Navigatione Cicero prospera usus est, nullo enim adverso casu in Pompeji castra pervenit. Adventus ejus, ut scribit Plutarchus, ad quem, quum paucissimae tantum Ciceronis ex toto hoc tempore epistolae exstent, nobis confugiendum est, ceteris quidem gratus fuit; Cato autem illum conspicatus privatim multis verbis reprehendit, quod Pompejum secutus esset. Ipsi enim non bene habiturum fuisse, si, quas reipublicae partes ab initio amplexatus esset, deseruisset, illum vero, qui magis prodesse patriae et amicis potuisset, si in Italia reses aequaliter se ad eventum comparasset, nulla ratione et absque necessitate hostem Caesari factum esse et in tanti periculi societatem eo venisse. Haec verba Ciceronis animum flexerunt, praesertim quum ejus opera nulla in re magna Pompejus uteretur, ut qui consilii capti se poenitere non negasset. Hujusce judicii ipsum Ciceronem habemus testem. Scribit enim in epistola ad M. Marium data: „Pudori malui famaeque cedere, quam salutis meae rationem ducere. Cujus me facti poenituit, non tam propter periculum meum, quam propter vitia multa, quae ibi offendi, quo veneram. Primum neque magnas copias, neque bellicosas, deinde extra ducem paucosque praeterea (de principibus loquor) reliqui primum in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem; maximum autem aes alienum amplissimorum virorum. Quid quaeris? Nihil boni praeter causam." Huic de viris Pompejanis judicio jungenda sunt, quae Cicero ad Atticum scribit: „Me discessisse ab armis nunquam poenituit. Tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus conjunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata; ut jam omnium judicio constitutum esset, omninm vestrum bona praedam esse illius victoriae."

In castris Pompeji Cicero filium reperit, qui quum Athenis literis operam navaret, sponte sua Pompejo sese adjunxerat et honorificum apud eum locum, quo illo quidem tempore non indignum videtur sese praebuisse, obtinebat. At pater officium militare adire noluit et ne in castris quidem togatus inter armatos esse desiit, illud unum propositum habens, ut amicum consilio adjuvaret. Jam vero quum in castris, quod probaret, nihil fere invenisset, quum belli apparatus ei tam mancus, consiliorum captorum ratio ex omnibus partibus tam vitiosa videretur, ut ne acerbissimis quidem, quae atra

bili moventur, dicteriis parceret: ab initio victoriam desperans primum coepit suadere pacem, cujus fuerat semper auctor, deinde quum ab ea sententia Pompejus valde abhorreret, suadere instituit, ut bellum duceret. Eam sententiam et ipse Pompejus amplexatus esse videtur. Nam quum Caesar finito Hispaniensi bello pridie Non. Januarias (a. u. 706 C. Julio Caesare II., P. Servilio Vatia coss.) in Epirum trajecisset: Pompejus proelio decertare noluit, sed obsessionem et circumvallationem Dyrrhachinam passus est. Ciceronem hoc tempore sollicitudo animi conficiebat, ex qua etiam summa corporis infirmitas orta est, ita ut Pompejum miro fortunae favore obsessione liberatum et in Thessaliam discedentem comitari non posset, sed valetudine laborans Dyrrhachii remanere cogeretur. Cum eo praeter alios Cato erat, quem Pompejus cum quindecim cohortibus, ut impedimentis praesidio esset, ibi reliquerat. Sperabat quidem Cicero, se levata corporis infirmitate cum eo, qui negotium gereret, esse futurum. Sed quominus id exsequeretur, pugna Pharsalica jam media aestate ejus anni commissa impeditus est. Ad eam ineundam Pompejus, qui teste Appiano prudentissimo consilio decreverat bellum protrahere et hostem fame exagitatum in aliam famem trudere, invitus fervore amicorum inconsiderato tractus est. Nam erat circa eum magnus numerus senatorum dignitate parium, et equitum Romanorum nobilissimus quisque, praeterea reges multi et dynastae. Hi omnes tum imperitia rei militaris, tum supra modum Dyrrhachina victoria elati, quidam freti, qua praestabant, multitudine, nonnulli etiam bello fessi imperatorem incitabant atque ne cavillationibus quidem dicteriisque, ut eum propellerent, pepercerunt. Ita Pompejus, et a suo proposito et a consilio Ciceronis dimotus, proelium Pharsalicum commisit, cujus quam fatalis fuerit exitus, nemo est, qui ignoret.

Victoriam Caesaris Cicero sibi belli finem fecit, persuasum enim habebat, quum integri pares non fuissent, fractos supioriores non futuros. Itaque quum Cato, qui copias magnas classemque magnam Dyrrhachii habebat, ad eum, ut qui dignitate consulari antecederet, imperium deferret; recusavit, minas Pompeji filii aspernatus, militiamque subterfugiens ineunte auctumno in Italiam transiit, ut Brundusii Caesaris adventum exspectaret.

4. De Cicerone sub Caesaris dominatu in literarum studiis delitescente.

Inde ab ineunte auctumno a. u. 706 usque ad Idus Martias a. u. 710.

Brundusii Cicero diutius, quam exspectaverat, commorari cogebatur. Caesar enim Pompejum in Aegyptum fugientem secutus Alexandrini et Pharnacici belli mora est retentus. Nec multum abfuit, quin exeunte anno ex refugio suo Cicero depelleretur. Misit enim ad eum Antonius exemplum Caesaris ad se literarum, in quibus, ne qui

motus fierent, juberetur prohibere omnes Italia, nisi quorum Caesar causam cognovisset. Itaque Antonius petebat ab eo per literas, ut sibi ignosceret; facere se non posse, quin iis literis pareret. Cicero ad eum Lamiam misit, qui demonstraret, illum Dolabellae dixisse, ut ad socerum scriberet, ut in Italiam quam primum veniret: ejus se literis venisse. Tum Antonius ita edixit, ut Ciceronem exciperet et Laelium nominatim. Ita ei in Italia remanendi libera venia constituta est jamque meliora de se sperare inceperat, quum essent, qui Caesari auctores se futuros pollicerentur non de conservanda tantum, verum etiam de augenda Ciceronis auctoritate. At ne nimis diu sine sollicitudine esset, nuntius ei allatus est, misisse Quintum fratrem filium ad Caesarem ut sui deprecandi, ita Marci fratris accusandi causa. Et profecto adolescens petulantissimus, quamquam satis notum erat, Q. Ciceronem vel invito fratre Marco ad Pompejum transisse, gravissimis criminibus et maledictis patruum insecutus est tantaque cum acerbitate rosit, ut ipse Caesar accusati partes tueretur. Simili modo etiam ipse Quintus pater omnes, quas ad amicos dabat, epistolas gravissimis in fratrem conviciis inquinabat. Huc curae gravissimae de Tullia filia, quae Dolabellam parum moribus ipsius aptum maritum nacta jam valetudine laborabat, accesserunt.

Quibus molestiis quum oppressus esset, redditae sunt Ciceroni Caesaris literae satis humane eae quidem scriptae, quibus tandem aliquando non nihil erectus est. Ad animi enim aegritudinem etiam corporis infirmitas accesserat ex aëris pestilentis gravitate commota, quum ei Brundusio, antequam cum Caesare in gratiam redisset, non liceret excedere. Itaque quamvis sollicitudine quadam eum non vacasse putaverimus, haud dubie tamen gaudio affectus est, quum Caesarem audiret adventantem. Is enim exeunte mense Septembri navibus Tarentum appulerat, inde terrestri itinere Brundisium petivit, ut via Appia Romam pergeret. Cicero obviam ei festinavit et liberalissime exceptus est. Caesar enim ut longe ante alios eum occurrere vidit, equo descendit et salutavit cumque eo solo colloquens multa stadia processit. De Ciceronis dignitate nihil detractum est; malebat enim Caesar habere, qui gloriae suae essent praecones, quam proscribi, quibuscunque ulla antea fuerat auctoritas. Praeterea quae est victoria, si triumphus non nisi inter sepulcrorum solitudines potest celebrari?

Cicero postquam cum Caesare in gratiam rediit, etiam in Urbem, cujus desiderio jam dudum tenebatur, revertendum sibi putabat. Sed rerum publicarum pertaesus ad artium studia se convertit summamque philosophiae pertractandae operam dandam constituit. Quae res ut melius cederet, arctius M. Terentio Varroni se conjunxit, ad quem plurimae epistolae hoc tempore conscriptae exstant. Ei scribit, se, postquam in urbem venerit, redisse cum veteribus amicis, i. e. cum libris suis, in gratiam.

Etsi non idcirco eorum usum dimisisset, quod iis succenseret, sed quod eorum se suppuderet. Videri enim sibi, quum se in res turbulentissimas infidelissimis sociis demisisset, praeceptis illorum non satis paruisse. Ignoscere sibi, revocare in pristinam consuetudinem . . . . Erat igitur Cicero belli Africani tempore Romae et fere domus suae parietibus inclusus dies transigebat. Multa enim erant, quae animum ejus pungerent. Qui aperte ex Caesaris partibus steterant; victorum superbia, etsi nullius erant momenti homines, se jactabant et omnes, qui cum Pompejo fecerant, fastidiosa violabant insolentia. Urbe autem abesse, ne novas malevolorum suspiciones moveret, nolebat. Jam igitur praeter libros quid erat, quod oppressa libera reipublicae forma sibi vindicaret is, per quem respublica ex perniciosis Catilinariorum turbis in libertatem erat asserta? Sane quidem pugnare poterat contra reipublicae liberae oppressores, modo ne rempublicam omni ex parte eversam intellexisset. Sed erat eversa jam ab eo tempore, quo omne de tota civitate arbitrium penes illustres imperatores esse coeperat. Re vera jam Sullam respublica dominum habuerat et mira tantum ejus vel continentia, vel desidia factum erat, ut externa libertatis species servaretur aut restitueretur. Absoluto rerum gerendarum cursu ex regio dominatu respublica ad eundem regium dominatum, licet nomine mutato, redibat.

Quod ad belli Africani eventum pertinet, Ciceronem exspectatio vel metus non fefellerat. Caesar enim quum sub initium anni 708 in Africam pervenisset, initio mensis Aprilis Jubam Scipionemque apud Thapsum devicit ac paucis diebus post Cato Uticae manum sibi intulit. Quo facto quum compositum esset bellum Africanum, medio fere anno Romam rediit et a senatu tantis honoribus totque novis magistratibus ornatus est, ut jam propius ad regiam dignitatem accederet. Ciceronem Caesar post reditum, quae ejus erat humanitas, praecipuo honore habebat, noster autem, quantum fieri poterat, remotus vivebat. Itaque quos salvos volebat, eos per amicos Caesari commendabat et in universum oculos vitabat hominum, si linguas minus facile posset. Neque urbis strepitus musis satis idoneus videbatur esse. Idcirco Circero in villas suas se recepit. Primum, ad quod scribendum sese accinxit, opus Catonis laudes fuisse videntur, *πρόβλημα*, ut ipse ait, *Ἀρχιμήδειον*. Jam enim omnia a Caesare pendebant et summopere timendum erat, ne eo libello edito summi consulis animum offenderet. Nihilo minus Cicero non dubitavit, Catonem suum in vulgus emittere. Caesar lecto libro epistolam ad auctorem dedit humanissime scriptam; quamquam enim erant, qui Ciceronem Caesari criminarentur, tamen benevolum in eum animum servavit aut certe finxit. Itaque satis habebat Catoni Anticatonem opponere, quo in libro Ciceronem multis ornasse laudibus, Catonem acerbissime fertur axagitasse. Intercesserat praeterea

quaedam conjunctio inter Caesarem et Ciceronem per illius familiares. Hirtius enim et Dolabella et alii apud ipsum declamitare solebant, ipse apud illos coenitare, ut jam alter Dionysius sibi videretur, qui Syracusis expulsus ludum Corinthi aperuisset. Quae exercitationes ut, quo ipsum oblectarent, habebant (iis enim ad ista tempora se muniebat et valetudinem, quam intermissis exercitationibus jam amiserat, restituebat et cavebat, ne dicendi facultas exaresceret): ita largum nobis etiam fructum paraverunt, si verum est nos eis duo Ciceronis opera praestantissima debere, Oratorem dico atque Brutum; altero libro oratoris, quem ipse perfectum judicabat, effigiem nobis proposuit, altero planam exhibet eloquentiae Romanae historiam insertis multis de optimo dicendi genere sententiis.

His literarum studiis occupatum etiam domesticae curae conficiebant. Terentia enim, Ciceronis uxor, temporum habita ratione nulla, maximas effuderat pecunias, ut jam maritus summopere laboraret neque, qua ratione se expediret, invenire posset. Itaque eam res suas sibi habere jussit. Ipse autem, quum videret majorem corpori habendam esse curam, per aliquod tempus villas suas lustrabat. Inde Romam redux, saluti amicorum quorundam, qui cum Pompejo fuerant, in his M. Marcelli, et Ligarii, prospexit. Marcellum, qui post pugnam Pharsalicam Mytilenae degebat, Cicero identidem, ut Caesari se submitteret, erat hortatus. Quod ubi ille constanter recusavit, oblata est rei expediendae opportunitas, quum, mentione a L. Pisone facta de Marcello, Gajus frater se ad Caesaris pedes abjecisset cunctusque senatus consurgeret et ad Caesarem supplex accederet. Tum consul accusata Marcelli acerbitate repente praeter spem dixit, se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. Itaque senatores sententias sunt rogati. Quae res Ciceronem, qui in perpetuum tacere constituerat, ut pluribus verbis Caesari gratias ageret, commovit. Num oratio, quae Marcelli nomine exstat, genuina sit, sub judice quidem etiam lis est; at profecto constat, eum diem ita ipsi pulcrum visum esse, ut speciem aliquam videretur videre quasi reviviscentis reipublicae.

Ad Ligarium vero quod pertinet, qui post victos in Africa Pompejanos vita a Caesare impetrata in exilio vivebat, jam vero a Tuberone filio de vi accusatus erat; Cicero a Ligarii fratribus rogatus mane ad Caesarem venit et, quum fratres et propinqui se ad hujusce pedes prostravissent, orationem habuit deprecatoriam, cujus vi victus Ligarium crimine liberavit. Vario cum successu etiam in aliorum amicorum, Caecinae, Trebiani, Nigidii, Ampii, periculo averruncando operatus est. Sed finem fecit his studiis Caesaris ad bellum Hispaniense profectio, quae paucis diebus ante initium anni 709 evenit. Cicero ut grande aes alienum dissolveret remque reficeret familiarem, Publiliam,

praedivitem puellam, amicorum consilio motus, praeter aetatem uxorem duxit. Quod matrimonium paullo post, quam erat initum, a Cicerone dissolutum est. Nec nimis prosperum jam a primo exordio videtur fuisse; nam amico de novis nuptiis gratulanti nihil habet, quod respondeat, nisi tam misero tempore se nihil novi consilii capturum fuisse, nisi in reditu nihilo meliores res domesticas, quam rempublicam, offendisset. Sed quod tam cito societas inita disjuncta est, inde profectum esse videtur, quod mortem filiae Ciceronis unice amatae, quae mense Martio filium enixa obiit, non eo, quo debebat, animo tulerat. Nam quum pater tristitia prorsus absumptus esset, nova nupta visa erat Tulliae morte laetari. Idcirco parentibus eam remisit, ipse autem ad Atticum suum confugit, ut intimi amici amplexus dolorem paullisper levarent. Inde Asturam, ubi luctui indulgeret, sese contulit. Quum vero hominum societatem fugeret, librorum multo etiam vehementius appetebat. Epistolae enim, quae innumerae ad eum dabantur, consolatoriae nihil nisi dolorem augebant. Quare quum neque publica, neque privata negotia eum ita haberent distentum, ut a moerore possent avocare; ad omnia, quae de luctu minuendo conscripta erant, legenda se accinxit. Cujus lectionis fructum librum de Consolatione inscriptum, in quo Crantorem in primis secutus erat, per Atticum in vulgus emisit. Nobis ea Ciceronis commentatio non est servata, quamquam saepissime ejus grammatici faciunt mentionem. Ex studiis igitur animi relaxationem petivit, qua in re eandem, quam recentioribus temporibus prae ceteris Goethius noster, viam ingressus est. Quod num eodem fecerit eventu, est, quod dubitemus. Vix enim dixerimus, eum animo concitatioris luctus sollicitudinem ejecisse, qui, ut sempiterna filiolae esset memoria, de fano in ejus honorem exstruendo se misere extorquere non desinat. Atque tamen illud fanum non videtur conditum esse, quum ejus apud nullum neque illius, neque sequentis aevi scriptorem ulla inveniatur mentio. Eodum tempore, quo Cicero ita, ut modo diximus, luctui se dabat et ab omni negotio publico aberat, Caesar bellum Hispaniense contra filios Pompeji susceptum ad finem perduxerat. Jam Ciceronis vivendi ratio in varias hominum reprehensiones inciderat. Alii enim iique non centemnendi viri ipsam eam desidiosam, quam dicebant, vitam vituperabant, alii, qui plura se vidisse gloriarentur, Ciceronis in Caesarem voluntatem exagitabant, dictitantes, non filiae morte tantum ei dolorem inflictum esse, sed victoriis Caesarianis, quae effecissent, ut jam hominum vitaeque urbanae eum taederet. Quod utut erat, hominum sermones Ciceronem non impediverunt, quominus tantam libris scribendis impenderet operam, ut obtrectatores, quantum ab ipso scribebatur, vix tantum possent legere. Incredibili enim celeritate libri a Cicerone hoc tempore scripti sese excipiebant. Nam quum adolescens, ut dicendi facultatem augeret, multum temporis philosophorum studiis

tribuisset, jam id egit, ut, quae a Graecis summis auctoribus memoriae prodita essent, ea latinis literis illustraret. Ipse profitetur (de divinatione II., 2) explicandae philosophiae causam sibi attulisse gravem casum civitatis, cum in armis civilibus nec tueri suo more rempublicam, nec nihil agere potuisset; nec quid potius, quod quidem se dignum esset, ageret, reperisset. Qua quidem re quod quam plurimis se profuturum sperabat, spes haud dubie eum non fefellit. De libris autem, quos ad philosophiam pertinentes hoc tempore in vulgus emiserit, ipsum habemus testem, ut qui eos his fere verbis recenseat (de divinatione II., 1): „Cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius, et quod genus philosophandi minime arrogans maximeque et constans et elegans arbitraremur, quatuor Academicis libris ostendimus. Cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut, quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset. Totidem subsecuti libri Tusculanarum disputationum res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat, docet enim, ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. Quibus rebus editis tres libri perfecti sunt de natura Deorum, in quibus omnis ejus loci quaestio continetur."

Est ea profecto mira industria mirusque librorum intra angustos unius anni fines conscriptorum numerus. Nec facere poterimus, quin fateamur, Ciceronem de patria bene meruisse, quod largum Graeci ingenii rivum in Latinorum agros deduceret. Nam primitivum, quem dicunt, philosophum Ciceronem non habemus, sed Graecorum arctissime prementem magistrorum vestigia. At qni fuerunt Latinorum philosophi primitivi? Erant nulli, ut inter omnes constat, neque ultra eclecticam rationem unquam Latini provecti sunt.

Per totum illud tempus, quo Cicero hos libros scripsit, Roma fere aberat. Prae ceteris autem praediis Tusculanum eum delectabat, ubi singula quaeque Tulliae memoriam referebant Atticique ipsi et conveniendi et consultandi liberrima erat facultas. Inde ne Caesaris quidem in urbem reditus, qui mense Octobri evenit, prorsus eum avocavit. Fieri enim non potuit, quin semel atque iterum viro praepotenti in Urbe praesto esset vocatusque suum inter senatores locum obtineret. Ita quum faceret, sibi facultatem servavit auctoritatis suae in amicorum convertendae utilitatem. Quare quum Caesar militibus agros, quos iis promiserat, esset divisurus, literis ad eos, qui isti negotio praepositi erant, datis effecit, ut amicorum agris paroeretur. Simili ratione

etiam Dejotaro regi officium suum praestitit, quum nepotis perfidia per Phidippum servum medici locum obtinentem insimulatus esset, quod Caesari apud ipsum versanti fecisset insidias. Legati Dejotari causam ad Ciceronem detulerant, antiquum Dejotari hospitem et amicum. Is suscepta causa coram Caesare intra domesticos parietes Dejotarum defendit. Quod quo successu fecerit, non constat; certi enim ea de re nihil est proditum. At quum Cicero etiam in secunda oratione philippica neminem cuiquam inimiciorem fuisse dicat, quam Dejotaro Caesarem; quum, quae addit, istud odium usque ad Caesaris mortem continuatum esse innuant: non est, quod putemus, Ciceronis pro vetere hospite operam feliciter cessisse. Quae tamen res non erat impedimento, quominus Caesar pergeret, propensae in Ciceronem voluntatis speciem prae se ferre. Quin adiit etiam eum in Puteolano praedio, quum Bajas iter faceret, tertiis Saturnalibus i. e. haud ita multo post illam orationem habitam. Erat in sermone σπουδαῖον οὐδὲν, haud dubie, quia alter alteri suspectus erat, sed φιλόλογα multa.

At illo tempore tota respublica jam belli Parthici et exspectatione et apparatu erat commota. Caesar, V. dictator et consul, collegam sibi eluso Dolabella adjunxerat M. Antonium, hominem perditum et aere alieno oppressum, sed audacem et ad omnia audenda paratum. Tali enim viro ad ea, quae proposuerat, exsequenda ei opus erat. Reliqua ut constituerentur, Kalendis Januariis anni 710 omnes senatores in senatum coacti sunt. Nec Cicero in eorum, qui vocati erant, numero defuit. Caesar, ut etiam futuro tempori provideret, ostendit, se prius quam proficisceretur, Dolabellam consulem esse jussurum. Anno 711 Hirtium et Pansam, anno 712 Dec. Brutum et Plancum consules designavit. Inde ab eo tempore rabido quodam furore fato imminenti se obviam effudit. Potestatem enim regiam quum dudum teneret, jam etiam nomen affectabat regium. Referebat scire, quid populus passurus esset. Ei rei Antonius suam operam obtulerat; sedenti enim in rostris Lupercalium die ipse Lupercus diadema obtulerat, et quum a Caesare percepta populi indignatione id recusatum esset, adscribi jusserat in fastis ad Lupercalia, C. Caesari, dictatori perpetuo, M. Antonium consulem populi jussu regnum detulisse, Caesarem uti noluisse. Quod quomodo haberet, cognitum est, quum Caesar tribunos plebis, a quibus, qui ejus statuae lauream albis fasciis intertextam imposuerant, in carrerem erant conjecti, magistratu et senatu submovendos curaret. Huc accessit, quod in Sibyllinis libris oraculum inventum est, nisi regis ductu a Romanis Parthos non posse subigi. Quae quid sibi vellent, facile patuit. Facta est igitur conjuratio nobilissimorum juvenum et Caesar Idibus Martiis, quum post quartum diem ad bellum Parthicum proficisci vellet, in curia Pompeji interfectus est.

5. De Cicerone, post interfectum Caesarem ad publicas res reverso.

Inde ab Idibus Martiis anni 710 usque ad VII Id. Decbr. anni 711.

Post Caesarem interfectum M. Brutus pugionem cruentum alte extollens Ciceronem exclamaverat eique recuperatam libertatem erat gratulatus. Inde rumor divulgatus erat, Ciceronem facti fuisse suasorem. Quod ut esset, tantum abfuit, ut conjurati, praecautam, ni fallor, viri naturam veriti, eum ne conscium quidem facti haberent. Laetatus igitur est Cicero facto et comprobavit, quum bonam de libertate in republica restituenda spem concepisset, a consilio conjuratorum ipsaque re gerenda abfuit. Nec est, quod dubitemus, quin, si interfuisset, cum Caesare etiam Antonium tollendum curasset. Ut res gesta est, iis, qui gessissent, plus auctoritate et dicendi facultate, quam manuum robore, prodesse posse videbatur. De Antonio quid Cicero judicaverit, ut ex multis, quas ad amicos dedit epistolis, ita ex sententia, quam postridie ejus diei, quo Caesar interfectus erat, de isto consule tulit, apparet. Receperant se Caesaris interfectores e foro in capitolium, eo Cicero cum aliis permultis ascenderat. Ubi quum conjurati de consilio ineundo incerti dissererent et Ciceronem ad Antonium missuri essent, rogatum, ut jam libertatis se defensorem exhiberet: iturum se negavit; Antonium enim, quoad metueret, omnia promissurum, simulac timere desisset, similem futurum sui. Alii viri haud spernendae auctoritatis id muneris sibi susceperunt. Protractus igitur est ex receptaculo, quo coufugerat, Antonius, ut Liberalibus i. e. die tertio post Ciceronem interfectum in aedem Telluris senatum vocaret. Ibi sententia lata est, ut Cicero proposuerat. Revocato enim Atheniensium vetere exemplo et graeco etiam *ἀμνηστίας* verbo usurpato, ut omnis discordiarum memoria oblivione sempiterna deleretur, constitutum est, ut, quidquid hucusque commissum esset, ex memoria tolleretur, percussores Caesaris ut recte fecisse putarentur, Caesar autem ut funere efferretur, testamenta et acta ejus ut rata essent, Antonius consul ut exsequeretur. Habuit ibi etiam Antonius orationem de concordia ejusque parvus filius in capitolium missus pacis obses fuit. Itaque gratulationes factae sunt, et Cassium Antonius, Brutum Lepidus convivio excepit, alii alios. Postero die iterum senatu convocato provinciae decretae snnt M. Bruto Creta, Cassio Africa, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia, Dec. Bruto Gallia citerior. Sed quantum jam reipublicae libertati immineret periculum, perspectum est, quum Antonius resignato domi suae Caesaris testamento evulgaret Romanorum cuique trecenos sestertios esse legatos, quumque in funere pro rostris Caesarem laudans plebem sublato panno funebri cruento ita excitaret, ut oblivionis modo constitutae oblita incensis facibus conjuratorum domos peteret nominisque errore vel insontem laceraret. Jam igitur Cicero habebat, quod in epistola ad Atticum data quereretur, actam illam rem esse animo virili, consilio

puerili. Excisa erat arbor, non evulsa, jamque, ut maxime poterat, fruticabatur. Regni relictus erat heres. Neque ea, quae acciderat, rerum commutatio cum reipublicae emolumento conjuncta erat, si quidem pro Caesare Antonium habitura esset dominum. Qui quum post turbulentissimum Caesaris funus parumper saniorem viam ingredi velle visus esset; mox conversis in suum usum et Caesaris et aerarii opibus omnia coeperat miscere et libidinibus abreptus nullam vim nullamque injuriam, dummodo iis, quae peteret, perficiendis inservire posset, perhorrescebat. Caesaris igitur testamentum praetexens, quae ab uxore superstite servabantur mariti scripta sibi tradenda curavit. Quibus munitus id unum egit, ut eandem in republica vim, qua Caesar usus erat, sibi vindicaret, facilique negotio pessimum quemque sibi sectatorem adjunxit. Jam omnibus iis, qui contra Caesarem fecerant, gravissima intentari pericula coepta sunt multique boni cives securitati suae providentes Roma excesserunt. Inter hos Brutus erat uterque atque Cassius. Idem Cicero fecit, quem Aprili et Majo mensibus hujus anni villas, quas per totam Italiam habebat, perlustrantem videmus. Calendis Juniis senatores consuli praesto esse jussi erant. Itaque Cicero et ipse rusticatione omissa Romam contendit At ille senatus omnino non est habitus; senatores enim, qui frequentes convenerant, inusitata urbis specie minacibusque apparatibus territi diffugerunt. Nam Antonius, qui Italiam permigraverat, ut veteranorum stationes viseret, contra leges et omnium temporum exempla, militibus agmine quadrato cum gladiis comitantibus, eo ipso tempore urbem erat ingressus. Cicero quum, ne talia videret, urbe abesse ut maxime cuperet, a Dolabella, ut sibi se legaret, petivit atque nullo negotio id impetravit. Erat autem libera, quae dicebatur, legatio a consule senatori in quinque annos in provincia cum reipublicae auctoritate degendi venia. Dabat illud legationis genus licentiam et introeundi et exeundi, quum vellet, exsolvebatque officio, ut die dicta in senatu praesto esset. Bella Ciceroni hujus juris quinquennii licentia visa est, at ipse quasi futura praesagiens subinde addit: „Quamquam quid de quinquennio? Contrahi mihi negotium videtur. Sed *βλάσφημα* mittamus". Jam enim Ciceroni bellum idque perniciosius, quam quo victus erat Pompejus, imminere videbatur, neque eo in bello fore, ut liceret esse medium, quum nimis optimi cujusque sententia apparuisset ex laetitia de Caesare sublato. Unica reipublicae spes in Brutis et in Cassio Ciceroni videbatur contineri, quibus se libenter conjunxisset, si *πολεμήϊα,* ut ipse dicit, *ἔργα* ei data fuissent. Itaque de itinere in Graeciam faciendo cogitare non desiit, ut ibi in urbe aliqua pacata literis otium consecraret. Quamquam nonnunquam etiam de fuga ad Dec. Brutum, qui circa Mutinam exercitum contra Antonium Galliam per fraudem ei erepturum cogebat, vel ad Sextum Pompejum paranda cogitabat. De consilio igitur ineundo suspensus, modo huc, modo

illuc tendebat; quin etiam in urbem rediturus erat, sed gravissimis de Antonio nuntiis allatis eo quoque proposito excussus est. Quare jam ad iter in Graeciam faciendum majore se studio accinxit. Quum autem Brundusinus portus a piratis infestaretur, aliud iter ingressus est. Pompejano enim praedio relicto navem conscendit felicique navigatione Kalendis Sextilibus Syracusas pervenit, unde transmissio in Graeciam laudabatur. Sed ea minus feliciter cessit. Nam quum a Leucopetra promontorio navem conscendisset; non ita multum provectus austro in eum ipsum locum, unde conscenderat, rejectus est. Nox quum esset intempesta, in Valerii, familiaris sui, villa permansit ibique per municipes Rheginos de novissima Antonii concione, ex qua melius de republica sperare liceret, certior est factus. Quibus auditis nuntiis senatui Kalendis Septembribus habendo interesse constituit, summoque cum studio Romam contendit. At Veliam devectus Brutum vidit, qui, quum tuto in urbe esse non posset, provinciam petebat. Ex quo quamquam desperatam reipublicae conditionem cognovit, tamen urbe abesse noluit. Advenerat pridie Kalendas; sed de itinere quum langueret, postero die in senatu adesse nolebat. Itaque ex servis misit, qui absentem consuli excusaret. Verum Antonius, qui de Caesaris supplicatione vellet referre, ira concitatus audiente senatu cum fabris venturum sese respondit Ciceronis domum disturbatum. Quibus minis lacessitus postero die Cicero in senatu absente Antonio orationem habuit, quae primae philippicae nomine etiam exstat. In ea oratione exposita itineris in Graeciam mutatique consilii causa pluribus verbis de injuria pridie ejus diei sibi illata queritur, et prava actorum Caesarianorum utendorum ratione exagitata, utrumque consulem hortatur, de verae gloriae via ne recedant, ut diligi a civibus suis malint quam metui, remque publicam ut omni ratione complectantur.

Cicero, quae ad furibundum Antonii impetum rejiciendum dici oportebat, ingenue, sed modico fervore exhibuerat. Sed ita quoque Antonii animum ad iram pronum adeo irritaverat, ut adversarium omni modo supprimendum putaret. Inimicitiis igitur statim denuntiatis Ciceronem a. d. XIII Kalend. Oct. in senatu adesse jussit; ipse septendecim dies in Tiburtino Scipionis praedio commoratus orationem in Ciceronem habendam meditatus est, et ut meliore orationis flumine uteretur, per totum illud tempus declamitando se exercuit. At Cicero illo die a senatu aberat; retentus enim est amicorum consilio arbitrantium, adversarium jam nihil nisi arma atque caedem expetere. Frustra igitur factum est, ut Antonius eo, quo diximus, die agmine quadrato in aedem Concordiae, ubi senatus habitus est, ingrederetur; sed liberam dicendi licentiam nactus orationem irae plenissimam habuit. Cicero ei respondit secunda oratione philippica, quam scriptam, perinde ac si habita esset, quamquam non est, Attici opera edidit. Est

ea oratio vere fulminatrix et ad hominem conficiendum comparata, quum totam ejus a tenerrimis vitam miro cum ardore perstringat. Jam vero Cicero ab Antonii sicariis Romae tutus esse non poterat; idcirco, dum novi consules magistratum inirent, quod Kal. Januariis fiebat, in villas ab urbe remotiores sese recepit.

Denuo igitur Ciceronem habemus rusticantem. Ex qua rusticatione quantum literae Romanae perceperint fructum, satis notum est. Inter gravissimas enim de republica sollicitudines literarum studiis, ut solebat, animum erexit. Et primo quidem post Caesarem interfectum tempore editi sunt libri de divinatione et de fato, quibus majoribus operibus subsecivorum instar Catonem atque Laelium videtur interjecisse. Subsecuti sunt de Gloria libri duo, qui quo vel fortunae, vel hominum perierint injuria, quum Petrarcae temporibus etiam exstiterint, pro certo dici non potest. Iis libris Topica adjuncta sunt, quae Cicero a Trebatio, familiari suo, rogatus conscripsit. Aristotelem quidem is liber non nisi nomine nobis exhibet, neque est, quod ea de re miremur. Composuit enim Cicero Velia Syracusas iter faciens, quum secum libros non haberet, memoria repetita. Eidem fere tempori Timaei Platonici interpretationem debere videmur, cujus haud exigua etiam exstat particula. Inde ad stoicos conversus Panaetii ejusque emendatoris Posidonii comentationes *περὶ τοῦ καθήκοντος* Latinis sua lingua tribus illis, qui de Officiis inscripti sunt, libris proposuit. In illis exarandis Cicero per postremos anni 710 menses occupatus fuerat, finivisse videtur exeunte eo anno. — Quod praeterea de epistolis suis colligendis hoc tempore cogitavit; jam vitae sibi in brevius contrahi spatium videtur sensisse. Nulla adhuc earum erat *συναγωγή*, sed Tiro ei rei jam imposuerat manum. Quamquam est, quod dubitemus, num vivo Cicerone ea facta sit.

Alto hucusque silentio illum praetermisimus virum, qui, quum post Caesarem interfectum vix tertias explesset partes, fato, ut primas aliquando exciperet, destinatus erat. C. Octavii filius, qui, quum Caesar eum sibi adoptasset, C. Julii Caesaris Octaviani nomine appellatus est, Apolloniae, ut literis operam navaret, degebat. Inde nuntio de Caesare interfecto et de adoptatione sua accepto Romam advolavit Mox gravibus inter eum et Antonium de hereditate diffusa simultatibus ortis, astutis artificiis miraque et simulandi et dissimulandi arte sectatores ex omnibus reipublicae factionibus et ex veteranis Caesaris militibus exercitum ipsi cum fide addictum paraverat. Ejus crebrae ad Ciceronem sub finem anni 710, quum in Puteolano praedio versaretur, venerunt epistolae, quibus rempublicam se contra Antonii rapinas armis defensurum nuntiabat eumque in finem et Ciceronis, et optimi cujusque auxilium expetebat. Antonius autem, quum videret, vim suam vi oppressum iri, relicta urbe ad occupandam Galliam, quae

jam antea Dec. Bruto data erat provincia, profectus est. Qua re factum est, ut Ciceroni libera in urbem redeundi facultas contingeret. Neque ea uti jam dubitavit. Romam advenit V Id. Dec., ita apud se statutum habens, ne ante Kalendas Januarias in senatum iret. Sed quum tribuni plebis senatum in a. d. XIII Kal. Jan. convocassent, de consulum designatorum praesidio, ut senatum Kal. Jan. tuto habere possent, relaturi, Cicero officio deesse noluit. Senatu igitur frequentissimo surrexit, ut tertiam haberet philippicam orationem. In ea non jam plura contra Antonium facta esse dolet; hostem enim judicandum fuisse, qui Brutum, ducem populi Romani, impugnaret, laudandam vero legionem Martiam et quartam, quod ab Antonio ad Octavium defecisset tradendumque juveni de republica optime merito imperium iis de copiis, quae ipsius beneficio reipublicae essent servatae, Dec. vero Brutum senatus auctoritate ornandum exhortandumque, ut Galliam fortiter defenderet. Quibus expositis rebus consules futuros hortatur, darent operam, ut senatus Kal. Januariis tuto haberi posset. Accessit senatus frequens cum de ceteris rebus, tum de provinciis ab iis, qui haberent, retinendis neque cuiquam tradendis, nisi qui ex senatus consulto successisset.

Quibus peractis Cicero a tribunis plebis in concionem productus quarta oratione philippica coram populo, quid patribus visum esset, exposuit et summa acerbitate in Antonium invectus hortatus est, ut forti animo rempublicam tuerentur. Mira rerum mutatio apparuit, nam idem ille populus, qui non ita multo ante ex Antonii partibus steterat, jam Ciceronem laetis clamoribus excipiebat summumque libertatis vindicandae studium exhibiturus esse videbatur. Itaque exacto anno quum novi consules Hirtius et Pansa magistratum inirent: laetiorem res adspectum exhibebant. Convocatus est Kal. Jan. senatus relatumque cum de republica in civitate, tum de obsidione Mutinensi. Qui primi sententias interrogati sunt, censuerunt, mittendos esse ad Antonium legatos, qui agerent cum eo de obsidione omittenda. Ei sententiae omni vi Cicero quinta oratione philippica obstitit; turpe enim et indignum esse senatus ac populi Romani auctoritate, ad eum legatos de pace mitti, de quo ante paucos dies tamquam de hoste gravissima senatus judicia fecisset. Immo, ne tracto bello civium refrigesceret ardor, curandum, et firmiter amplectendum esse, ut in Antonium tumultus decerneretur consulibusque respublica traderetur, ut viderent, ne quid caperet detrimenti. Debiti honores ut iis tribuerentur, qui rempublicam essent tuiti; qui in Antonii exercitu essent, iis ne fraudi ea res haberetur, si ante Kalendas Februarias ab eo discessissent. Huic sententiae Piso aliique Antonii sectatores obstiterunt, a majorum exemplis alienum dictitantes civem indicta causa damnari. Inde factum est, ut senatus eo die nullo capto consilio discederet. At primo mane rursus in curiam coierunt jamque praegravante

Ciceronis sententia ex senatus consulto hostis judicatus esset Antonius, nisi Salvius tribunus plebis rem integram in crastinum differri jussisset. Qua intercessione quum senatus vehementer concitaretur; tamen suffragia eo die dilata sunt. At laudatus est ex senatus consulto Dec. Brutus, quod Gallia non decessisset Antonio, additumque decreto, ut cum Hirtio et Pansa pari imperio Octavianus praeesset iis, quas haberet, copiis et aurata ei poneretur statua sententiamque inter consulares diceret et jus petendi consulatus haberet decennio ante aetatem legitimam utque duabus illis legionibus, quae ad eum transierant, donativum redderetur ex aerario.

Qua sententia perlata quum prope jam ut de hoste reipublicae judicatum videretur de Antonio; mater ejus et uxor cum filio parvulo et familiares ad aedes principum ex senatoribus, ut extremam averterent necessitatem, discurrebant. Neque frustra eam consumtam esse operam, cognitum est, quum pridie Nonas Januarias de Antonio ad senatum referretur. Cicero enim, quamvis omnes intenderet vires, impedire non potuit, quominus sententia de mittendis ad Antonium legatis, qui eum Mutinam obsidere vetarent et pro Gallia sumere Macedoniam juberent provinciam, praevaleret. Quod quum omnino contra Ciceronis voluntatem decretum esset, ab Apulejo tribuno plebis in concionem productus sexta oratione philippica primo de legatione ad Antonium decreta exposuit, deinde nihil legatos profecturos auguratus populum ad reipublicae studium cohortatus est. Legatis missis quum ab Antonii amicis varii de responso futuro sermones efferrentur, Cicero, ne eorum, qui parum sibi constarent, animi in errorem inducerentur, in senatu septima oratione philippica tribus de causis pacem dissuasit, quia turpis esset, quia periculosa, quia esse non posset.

Quod Cicero auguratus erat, factum est. Legati quum diu abfuissent, ineunte mense Februario conditiones tulerunt, quae accipi a senatu omnino non possent. Quibus auditis quum belli nomen multis senatoribus displiceret tumultusque nomen pro eo decernerent, Cicero octava oratione philippica eam cunctationem exagitavit. Simul in Calenum, qui de pace agere ne illo quidem tempore desisset, et in alios, qui novos legatos mittendos putarent, et in Pisonem Philippumque, qui mandata Antonii tamquam ejus legati, non tamquam a senatu missi retulissent, maxima cum acerbitate est invectus. Senatus consultum hunc in modum censuit perscribendum: Eorum, qui cum Antonio sunt, qui ab armis discesserint ante Idus Martias primas, iis fraudi ne sit, quod cum Antonio fuerint; si quis eorum, qui cum Antonio sunt, fecerit, quod honore praemiove dignum esse videatur, uti consules de ejus honore praemiove primo quoque die ad senatum referant; si quis post hoc senatus consultum ad Antonium profectus fuerit, praeter L. Varium, senatum existimaturum eum contra rempublicam fecisse.

Rebus ita constitutis post pauca, quum in senatu de honoribus Servii Sulpicii, qui in legatione ad Antonium suscepta diem obierat supremum, a consule relatum esset, Cicero nona oratione philippica illi juris consulto celeberrimo statuam pedestrem aeneam in rostris ponendam decrevit facileque eam pertulit sententiam.

Ex omnibus iis, quae adhuc acta erant, facile perspici poterat, reipublicae conditioni denuo maxima imminere pericula. Jamque iterum in Ciceronis epistolis decantatis illis querelis occurrimus: Vellem, Idibus Martiis me ad coenam invitasses; reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiae vestrae exercent, quamquam egregios consules habemus, sed turpissimos consulares etc. (Fam. XII, 4). Bellum strenue paratum est jamque satis firmus exercitus ex delectibus convenerat, quum M. Bruti literae consulibus allatae sunt, quibus, quae suo Marte in Graecia et Macedonia contra C. Antonium, M. fratrem, egisset, exposuit. Recitatis in senatu convocato literis Calenus contra Brutum sententiam tulit admodum iniquam. Quam ut infringeret, Cicero decimam orationem philippicam habuit, qua effecit, ut, quod Brutus privato consilio egisset, publica auctoritate comprobaretur. In ea re non solum publico, sed etiam domestico usui prospexit, quum filius ejus, Athenis, ubi literis operam navabat, Brutum secutus, in hujus ducis exercitu multa cum laude stipendia mereret.

Eodem fere, quo hoc gestum est, tempore nuntii de Dolabella novas in Asia res moliente allati sunt. Nam quum Syria ei provincia contigisset, in itinere non dubitaverat, Trebonium, virum consularem, qui Asiam obtinebat, perfide crudelissimo supplicio interficere. Quae viri praestantis indigna nex optimi cujusque iram concitavit, itaque hostis a senatu judicatus est. Sed quum quaereretur, cui vindictae publicae causa committeretur; sententiae in varias partes abierunt. Cicero quid censeret, oratione philippica undecima exhibuit. Cassio enim et Asiam provinciam decernendam, quam sua sponte jam occupaverat, et Dolabellae persequendi munus tradendum judicavit. Quae sententia quamvis non eo, quo enuntiata erat, die vicit.

Jam haud exigua anni parte consiliis capiendis exacta tandem aliquando consules et Octavianus cum exercitu contra Antonium profecturi videbantur. Id ne fieret, veriti Antonii amici et familiares moerorem affectantes novos de pace sermones venditabant. Nec incassum id fecerunt. Sententiae enim in senatu sunt dictae, ut legati de pace ad Antonium mitterentur Servilius et Cicero. Sed mox dolus malus eorum, qui pacem suadebant, perspectus est. Qua re indignatus Cicero in senatu orationem duodecimam philippicam habuit, qua doceret, neque omnino legatos mittendos esse, quum jam satis respublica detrimenti debilitato populi ardore ex legatis decretis traxisset, neque fieri posse, ut ipse illud legationis munus sibi susciperet. Se enim semper legatos mittendos

negasse, sibi uni hostem esse crudelissimum Antonium nec sine maximo vitae periculo eum se adire posse. Cui sententiae quamquam eo die accesserat senatus, tamen de eadem re Ciceroni dicendum erat, quum Lepidus literis ad senatum missis ad pacem cum Antonio ineundam hortatus esset. Oratio, quam illo die habuit, inter philippicas est tertia decima et effecisse videtur, ut omni pacis spe remota bellum omni vi pararetur.

Consules igitur et Octavianus cum exercitu Mutinam contenderunt. Quae profectio pessimo cuique licentiam mali in rempublicam animi probandi dedit variique rumores, qui ad animos concitandos valerent, in vulgus elati sunt. Inter alia divulgatum est, Ciceronem de capitolio cum fascibus esse descensurum i. e. eum per vim consularem potestatem vel etiam dictatoriam sibi vindicaturum. Qua suspicione quum Apulejus eum vellet in concione liberare, una voce cuncta concio declaravit, nihil esse a Cicerone unquam de republica nisi optime cogitatum. Post eam habitam concionem paucis horis laeti de victoria Mutinensi nuntii et literae Romam venerunt, quibus perceptis populus Ciceronem domo in capitolium laetissimo plausu duxit atque in rostris collocatum domum reduxit. Quo amoris publici testimonio excitatus, postero die in senatu quarta decima oratione philippica patres ad bellum fortiter persequendum hortatus supplicationem quinquaginta dierum et militibus victoribus larga praemia decrevit.

Nobis post eam orationem alia Ciceronis servata est nulla, quamquam saepius etiam in senatu eum dixisse scimus. Sed jam omnia ex maxima felicitate laetissimaque specie ad praecipitem vergebant interitum, nuntiis in diem allatis tristioribus. Occisus uterque consul, Antonius clade emissus, Lepidus non uno tantum nomine suspectus et mox cunctis cum copiis adversae factioni adjunctus. Huc accessit, quod eo ipso tempore Octaviani animus pluribus modis a senatu lacessitus erat, qui quidem, victoriae Mutinensis nuntio perlato, agebat, tamquam jam omnibus periculis esset perfunctus: Fieri non poterat, quin etiam minus astutus vir, quam erat Octavianus, perspiceret, senatum sua opera usum esse, ut alienis consiliis perficiendis inserviret, eum jam id agere, ut se tamquam instrumentum detritum abjiceret, neque constantem sibi cum liberae reipublicae vindicibus esse posse amicitiam. Haec ut doceretur, verbis Hirtii consulis moribundi, qui Caesaris olim fuerat familiaris, haud dubie vix opus erat, quamquam, quae de ea re Appianus narrat, non omni ex parte ficta dixerimus. Mutatorum autem consiliorum rationem primum epistolarum inter Octavianum et Antonium missarum commercia prodiderunt. Ciceronem ab eo inde tempore Octavianus missum facere incepit. Sed antequam omnia vincula, quibus prioribus amicis etiam ligatus erat, abrumperet novasque contraheret societates; summi magistratus auctoritate se exornandum esse arbitrabatur. Consules erant sufficiendi. Ipse ut sufficeretur, exercitus

praetendit voluntatem militibus Romam in senatum missis quadringentis, qui nomine commilitonum eum sibi deposcerent. Senatu cunctante Cornelius centurio, princeps legationis, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, non dubitavit in curia dicere: Hic faciet, si vos non feceritis. Quibus minis Cicero libere subjecisse fertur: Ita si petierit consulatum, accipiet. Resistente igitur senatu, milites re infecta redire coacti sunt. Quo cognito Octavianus Antonium Lepidumque ex Gallia in Italiam arcessivit et ipse legiones hostiliter ad urbem admovit. Eo terrore adversariorum animi fracti sunt et Octavianus cum Q. Pedio suffectus. Cicero quum paulo ante comitiorum diem quasi gratulabundus in Octaviani castra venisset, facile veterem favorem perisse intellexit. Frigidissime enim exceptus est, exprobratione addita, eum ex omnibus amicis venire postremum. Eodem tempore etiam notissimum illud dicterium circumlatum est, a Cicerone Octavianum adolescentem dictum esse laudandum, ornandum, tollendum; sed Octavianum non esse passurum, ut tolli posset. Quod quid sibi vellet, cognitum est, quum exeunte mense novembri nuntius de foedere illo, quod inter Octavianum et Antonium et Lepidum in insula prope Bononiam ictum est, percrebuit. Ille dies tantum luctus, quantum nescio an nullus alius, reipublicae Romanae tulit. Marianorum enim Sullanorumque temporum exempla imitati triumviri reipublicae constituendae longas proscriptionum tabulas proposuerunt, quo et adversarios opprimerent et facultates ad milites remunerandos necessarias sibi compararent. Ciceronis necem Antonius foederis ineundi fecerat conditionem et Octavianus, quum per triduum obstitisset, tandem ambitiosis suis consiliis eum prodidit. Itaque quum odio acerrimo peteretur, inter primos proscriptos fato occubuit. Versabatur Romae, quo tempore ista societas inita est. Inde nuntiato, triumviros mox urbem ingressuros esse, ea futura suspicatus, quae facta sunt, in praedium Tusculanum discessit. Quum ibi certos de proscriptione sua nuntios accepisset, transversis itineribus in Formianum contendit, ut nave Cajetae conscensa ad Brutum in Macedoniam confugeret, sortis ejus, quaecunque usu veniret, jam socius futurus. Sed aliquoties in altum provectum quum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis, caeco volvente fluctu, pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit, regressusque ad superiorem villam, quae paullo plus mille passibus a mari aberat, Moriar, inquit, in patria saepe servata. Satis constat, servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipse deponi lecticam et quietos pati, quod sors iniqua cogeret, jussisse. Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est. Nec satis crudelitati militum fuit. Manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid exprobantes, praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium jussuque ejus inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi

saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes prae lacrimis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant. — Ita Livius in fragmento libri CXX. Interfectus est ab Herennio et Popillio VII Id. Dec. anni 711, in caput et dexteram manum ab Antonio et Fulvia uxore rabido cum furore saevitum.*)

Schulnachrichten.

I. Durchgenommene Pensa.

A. Progymnasium.

1. Religion.

VI. (Lehrer Lewerenz, 3 St., Bibel, Gesangbuch, Luthers Katechismus von Bachmann, biblische Geschichte von Preuß): Die biblische Geschichte des Alten Testamentes im Zusammenhange im Anschluß an die biblische Geschichte von Preuß (2 St.). Das erste Hauptstück und der erste Artikel des zweiten Hauptstückes ausführlich. Wiederholung des zweiten und dritten Artikels. Erlernung des dritten Hauptstückes. Memorirung der betreffenden Beweisstellen und Kirchenlieder (1 St.).

V. (Conrector Rotelmann, 3 St, dieselben Lehrbücher, wie in VI.): Die biblische Geschichte des Neuen Testamentes im Zusammenhange im Anschluß an die biblische Geschichte von Preuß (2 St.). Die beiden ersten Hauptstücke des Katechismus. Das dritte Hauptstück repetirt. Das vierte und fünfte dazu gelernt. Beweisstellen und Kirchenlieder (1 St.).

IV. (Conrector Rotelmann, 2 St., dieselben Lehrbücher, wie in VI.): Der Katechismus Luthers unter beständiger Bezugnahme auf die biblische Geschichte. Belegstellen und Kirchenlieder gelernt.

III. (Conrector Rotelmann, 2 St., Bibel, Gesangbuch, Hollenberg's Hülfsbuch für den evangelischen Religionsunterricht): Erstes Semester: Das Leben Jesu im Anschluß an die Synoptiker. Zweites Semester: Christliche Lehre im Anschluß an den Katechismus. Belegstellen. Kirchenlieder.

II. (Director Schmeckebier, 2 St., dieselben Lehrbücher, wie in III.): Erstes Semester: Das Evangelium Johannis. Zweites Semester: Christliche Glaubenslehre im Anschluß an das Hülfsbuch von Hollenberg. Kirchenlieder; einzelne zusammenhängende Stellen des Johannis, dicta probantia.

*) Der zweite Theil der Abhandlung wird für eine spätere Zeit vorbehalten.

2. Deutsche Sprache.

VI. (Lehrer Lewerenz, 5 St., Lesebuch von Hopf und Paulsiek I, a.): In theilweisem Anschlusse an das Lesebuch die Lehre von den Wortklassen und die Lehre vom einfachen Satze, mit mündlichen und schriftlichen Uebungen. Lernen von Gedichten und pros. Abschnitten. Orthographische Uebungen.

V. (Progymnasial-Lehrer Dr. Appelmann, 4 St., Hopf und Paulsiek I b.): Die Lehre vom Satze. Lernen von Gedichten. Orthographische Uebungen mit Erzählungen als Aufsätzen wechselnd.

IV. (Progymnasial-Lehrer Dr. Appelmann, 2 St., Hopf und Paulsiek I c.): Wortbildungslehre. Erklärung und Vortrag von Gedichten. Als Aufsätze Erzählungen, Beschreibungen und Schilderungen.

III. (Oberlehrer Dr. Kirchner, 2 St., Hopf und Paulsiek II a.): Metrik und Poetik. Erlernen von Gedichten. In einzelnen Stunden Repetition der Grammatik. Aufsätze theilweise nach der Stufenfolge der alten Progymnasmen geordnet.

II. (Oberlehrer Dr. Weichelt, 2 St.): Erstes Semester: Balladen von Göthe, Schiller und Uhland. Zweites Semester: Dramen von Schiller, namentlich Wallenstein und Tell. Einzelnes aus Schillers prosaischen Schriften. Dispositionsübungen. Als Aufsätze Schilderungen und Abhandlungen, besonders im Anschluß an die Lectüre. Erlernen und Vortrag klassischer Dichtungen. Versuche im freien Vortrage.

3. Lateinische Sprache.

VI. (Conrector Kotelmann, 10 St., Grammatik von Meiring-Siberti, Uebungsbuch für VI. von Spieß, Primitivenbuch von Wiggert): Regelmäßige Declination und Conjugation mit den entsprechenden mündlichen und schriftlichen Uebungen. Erlernen der Vocabeln mit ☞ und *. Extemporalien.

V. (Progymnasial-Lehrer Dr. Appelmann, 9 St., Grammatik und Primitivenbuch, wie oben, Uebungsbuch für V. von Spieß): Die ganze Formenlehre. Syntactische Belehrungen, namentlich über den Acc. c. Inf. und die Abl. abs. Exercitien und Extemporalien wechselnd. Vocabeln mit ☞, * und 1.

IV. (Oberlehrer Dr. Weichelt, 9 St., Grammatik und Primitivenbuch, wie oben, Cornelius Nepos, Süpfle Anleitung): Fortgesetzte Durchübung der Formen. Casuslehre systematisch; die übrigen Abschnitte der Syntax im Anschluß an die Lectüre. Cornelius Nepos. Exercitien und Extemporalien. Vocabeln mit ☞, *, 1 und 2.

III. (Oberlehrer Dr. Kirchner, 8 St., Oberlehrer Dr. Weichelt, 1 St., Grammatik und Primitivenbuch, wie oben, Caesar de bello gallico, Ovid Metamorph., Süpfle Anleitung rc.): Wiederholung der Casuslehre, darauf die folgenden Abschnitte der Syntax. Caesar de bello gallico von I an und ausgewählte Abschnitte aus den Metamorphosen des Ovid. Exercitien und Extemporalien. Vocabeln mit ☞, *, 1, 2 und 3.

II. (Direktor Schmeckebier, 9 St., Grammatik von Meiring, Primitivenbuch von Wiggert, Süpfle Anleitung für die oberen Gymnasialklassen, Virgils Aeneide, Livius I, Cicero orat. sel.): Wiederholung der ganzen Grammatik, Exercitien, Extemporalien und Aufsätze (3 St). Virgil's Aeneide durchgehend (3 St.) Erstes Semester: Livius I, Zweites Semester: Cicero orat. sel. (3 St.). Die sämmtlichen Vocabeln des Primitivenbuches in jedem Semester durchzulernen.

4. Griechische Sprache.

IV. (Progymnasial-Lehrer Dr. Appelmann, 6 St., Grammatik von Buttmann, Elementarbuch von Jacobs, Uebungsbuch von Heß): Regelmäßige Formenlehre bis zu den verbis liquidis incl. Uebersetzung der entsprechenden Uebungsstücke im Jacobs. Exercitien und Extemporalien nach Heß.

III. (Oberlehrer Dr. Kirchner, 6 St., Grammatik von Buttmann, Xenophon Anabasis, Heß Uebungsbuch): Die ganze Formenlehre; syntactische Belehrungen im Anschluß an die Lectüre. Nach Durchnahme der verba in μι Anabasis. Exercitien und Extemporalien.

II. (Director Schmeckebier, 6 St., Grammatik von Buttmann, Homer's Odyssee, Xenophon's Memorabilien, Herodot): Wiederholung der Formenlehre. Syntax. Exercitien und Extemporalien. (2 St.) Homer's Odyssee 2 St. durchgehend. Xenophons Memorabilien. (2 St., erstes Semester) Herodot (2 St. zweites Semester).

5. Französische Sprache.

V. (Progymnasial-Lehrer Dr. Appelmann, 3 St., Plötz Elementargrammatik): Leseübungen. Declinationen, avoir und être und die erste Conjugation (die ersten 60 Lectionen im Plötz).

IV. (Oberlehrer Dr. Weichelt, 3 St., Plötz Elementargrammatik, Plötz petit vocabulaire): Die vier regelmäßigen Conjugationen, der partitive Artikel und die unregelmäßige Pluralbildung, Fürwörter, unregelmäßige Comparation und einige der wichtigsten unregelmäßigen Verben nebst den betreffenden Uebungen (Plötz 61—112). Systematisches Vocabellernen.

III. (Oberlehrer Dr. Kirchner, 2 St., Knebel Grammatik, Plötz: petit vocabulaire, Fränkel Cours de leçons I.): Absolvirung der Formenlehre, namentlich die unregelmäßigen Verben. (1 St.). Lectüre der Stylproben aus Fränkel's Cours de leçons I. (1 St.). Systematisches Vocabellernen.

II. (Oberlehrer Dr. Kirchner, 2 St., Knebel Grammatik nebst Uebungsbuch von Probst, Bonaparte en Egypte et en Syrie von Thiers, Athalie von Racine): Syntax, Exercitien und Extemporalien wechselnd (1 St.). Lectüre (1 St.).

6. Hebräische Sprache (facultativ).

II. (Conrector Rotelmann, 2 St., Grammatik und Lesebuch von Gesenius): Die Elemente.

7. Geographie.

VI. (Progymnasial-Lehrer Lewerenz, 2 St., Leitfaden von Daniel, Atlas): Der erste allgemeine Cursus des Lehrbuches. Erste Anfänge des Chartenzeichnens.

V. (Progymnasial-Lehrer Lewerenz, 2 St., dieselben Lehrbücher, wie in VI.): Die sämmtlichen Erdtheile in gleichmäßiger Ausführlichkeit. Chartenzeichnen.

IV. (Progymnasial-Lehrer Seltmann, 1 St., Lehrbuch von Daniel, Atlas): Deutschland. Chartenzeichnen.

III. (Oberlehrer Dr. Weichelt, 1 St., dieselben Lehrbücher, wie in IV.): Die außereuropäischen Erdtheile. Chartenzeichnen.

II. (Oberlehrer Dr. Weichelt, 1 St., dieselben Lehrbücher, wie in IV.): Repetition der Länder Europa's, namentlich Deutschland's. Chartenzeichnen.

8. Geschichte.

V. (Progymnasial-Lehrer Lewerenz, 2 St., Lange Leitfaden I. und II.): Die alte, namentlich die griechische und römische Geschichte in vorherrschend biographischer Behandlung.
IV. (Oberlehrer Dr. Weichelt, 2 St., dieselben Lehrbücher, wie in V.): Die wichtigsten Begebenheiten des Mittelalters und der neuern Zeit in vorherrschend biographischer Behandlung.
III. (Oberlehrer Dr. Weichelt, 2 St., Dielitz Lehrbuch): Römische Geschichte.
II. (Oberlehrer Dr. Weichelt, 2 St., dasselbe Lehrbuch, wie in III.): Geschichte der neuern Zeit (1517 bis 1815).

9. Mathematische Wissenschaften.

VI. (Progymnasial-Lehrer Lewerenz, 4 St., drittes Rechenheft von Wulkow): Die Bruchrechnungen.
V. (Progymnasial-Lehrer Lewerenz, 3 St., drittes Rechenheft von Wulkow): Regeldetri. Daneben hergehend Wiederholung der Bruchrechnungen.
IV. (Oberlehrer Dr. Kirchner, 3 St., Lehrbuch der Elementarmathematik von Kambly): Erstes Semester: Arithmetik (2 St.): Die 4 Grundoperationen in allgemeinen und entgegengesetzten Größen. — Geometrie (1 St.): Geometrische Formenlehre. Zweites Semester: Geometrie (2 St.): Von den geraden Linien und den geradlinigen Winkeln, den Parallellinien, den Dreiecken mit Ausschluß der beiden letzten Sätze (Kambly §. 1—67). Arithmetik (1 St.): Die Decimalbrüche, Repetition des arithmetischen Sommerpensums, durch Aufgaben.
III. (Progymnasial-Lehrer Seltmann, 4 St., dasselbe Lehrbuch, wie in IV.):
a. Arithmetik (2 St.): Auflösung der Gleichungen 1. Grades mit einer Unbekannten. Die Grundoperationen mit allgemeinen und entgegengesetzten Größen in voller Ausdehnung, Reduction zusammengesetzter Größen. Potenzen mit ganzen Exponenten. Definition der Wurzel, Ausziehen der Quadrat- und Kubikwurzel; Verhältnisse und Proportionen.
b. Geometrie (2 St.): Die Lehre vom Kreise mit Hinzufügung der letzten Lehrsätze vom Dreieck, von den Vierseiten, Vergleichung des Flächeninhalts, Verwandlung, Theilung und Ausmessung geradliniger Figuren. (Kambly §. 68 — §. 127). Arithmetische und geometrische Uebungsaufgaben.
II. (Progymnasial-Lehrer Seltmann, 4 St., dasselbe Lehrbuch, wie in IV.):
a. Erstes Semester: Arithmetik (1 St.). Gleichungen des ersten und zweiten Grades. — Geometrie (3 St.): Proportionalität gerader Linien, Aehnlichkeit geradliniger Figuren, Proportionalität am Kreise, reguläre Polygone, Rectifikation und Quadratur des Kreises. (Kambly §. 128—165).
b. Zweites Semester: Arithmetik (3 St.): Wurzeln, Logarithmen, Berechnung complicirter Zahlenausdrücke durch Logarithmen, Exponentialgleichungen, arithmetische und geometrische Reihen erster Ordnung.
Geometrie (1 St.): Elemente der Trigonometrie bis zur Auflösung der schiefwinkligen ungleichseitigen Dreiecke excl. Arithmetische und geometrische Uebungsaufgaben.

10. Naturwissenschaften.

IV. (Conrector Kotelmann, 2 St., kleine Naturgeschichte von Schilling): Sommer: Vorbereitender Cursus der Botanik. Winter: Vorbereitender Cursus der Zoologie.

III. (Progymnasial-Lehrer Seltmann, 2 St., dasselbe Lehrbuch, wie in IV.): Sommer: Botanik. Winter: Mineralogie.

II. (Progymnasial-Lehrer Seltmann, 2 St., Lehrbuch der Physik von Trappe): Die ersten Elemente der Physik.

11. Gesang.

VI. (Gesanglehrer Goltzsch, 2 St., Sang und Klang von Wagner, außerdem besonders gegebene Gesangstücke): Stufenweise fortschreitende Uebungen.

V. (Gesanglehrer Goltzsch, 2 St., Sang und Klang von Wagner, außerdem besonders gegebene Gesangstücke): Stufenweise fortschreitende Uebungen.

IV. III. II. (Gesanglehrer Goltzsch, Sang und Klang von Wagner, außerdem besonders gegebene Gesangstücke): Stufenweise fortschreitende Uebungen.

12. Zeichnen.

VI. (Zeichenlehrer Crell, 2 St.): Stufenweise fortschreitende Uebungen.

V. (Zeichenlehrer Crell, 2 St.): Stufenweise fortschreitende Uebungen.

Für die höhern Klassen ein freier Zeichenunterricht Sonnabend's von 1—3 Uhr, außerdem Parallellectionen zum Griechischen.

13. Schreiben.

VI. (Lehrer Pehl, 4 St.): Ein- und zweizeilige Vorschriften. Uebungen im Taktschreiben.

V. (Lehrer Pehl, 2 St.): Kleinere und größere Vorschriften. Uebungen im Taktschreiben.

14. Turnen.

VI.—II. (Lehrer Pehl, Mittwoch und Sonnabend Nachmittag): Obligatorisch für alle Schüler, die nicht auf Grund ärztlicher Atteste dispensirt sind.

Parallellectionen für die am Griechischen nicht Theil nehmenden Schüler.

Quarta.

1. **Zeichnen**, mit III. combinirt. (Zeichenlehrer Crell, 2 St.): Leichtere und schwerere Uebungen.
2. **Rechnen**. (Conrector Kotelmann, 2 St.): Zusammengesetzte Regelbetri, Zins-, Rabatt-, Gesellschafts- und Mischungs-Rechnung.
3. **Englisch**. (Director Schmeckebier, 2 St., Elementarbuch von Schmitz): Die Anfangsgründe des Englischen.

Tertia.

1. **Zeichnen**, combinirt mit IV. (Zeichenlehrer Crell, 2 St.): Leichtere und schwerere Uebungen.
2. **Englisch**. (Progymnasial-Lehrer Seltmann, 4 St., Lesebuch von Schmitz, Grammatik von Fölsing): Das Allgemeine aus der Grammatik beendet. Ausgewählte Lesestücke. Exercitien und Extemporalien nach Dictaten.

Secunda.

1. **Chemie.** (Progymnasial-Lehrer Seltmann, 2 St.): Die Elemente der anorganischen Chemie.
2. **Englisch.** (Progymnasial-Lehrer Seltmann, 4 St., Lesebuch von Schmitz) [Grammatik von Fölsing]: Die Syntax systematisch. Exercitien und Extemporalien. Sprechübungen. Als Lectüre die schwierigeren Abschnitte des Lesebuchs.

B. Grundklassen:

1. Religion.

2\. Grundklasse. (Lehrer Böck, 4 St): 16 biblische Geschichten Alten und ebenso viele Neuen Testamentes. Die 10 Gebote und der erste Artikel. Wöchentlich ein Bibelspruch und ein Liederverѕ.

1\. Grundklasse. (Lehrer Pehl, 4 St., Katechismus von Bachmann, biblische Geschichte von Preuß): Wiederholung und Erweiterung des in der vorigen Klasse durchgenommenen Stoffes aus der biblischen Geschichte. Die beiden ersten Hauptstücke zu lernen und dem Wortlaute nach zu erklären. Dazu Kernsprüche, einige Kirchenlieder.

2. Lesen.

2\. Grundklasse. (Lehrer Böck, 6 St., Fibel von Häster, Lesebuch von Fix): Die Leseübungen so weit geführt, daß deutsche, wie lateinische Druckschrift ohne viele Fremdwörter fließend gelesen wurde.

1\. Grundklasse. (Lehrer Pehl, 5 St., Lesebuch von Fix): Das ganze Lesebuch ist durchgearbeitet, bis zur Erzielung der vollen mechanischen Fertigkeit.

3. Schreiben.

2\. Grundklasse. (Lehrer Böck, 6 St.): Sämmtliche deutsche und die kleinen lateinischen Buchstaben einzeln und im Zusammenhange.

1\. Grundklasse. (Lehrer Pehl, 5 St.): Die großen lateinischen Buchstaben einzeln und im Zusammenhange mit den kleinen. Schreiben nach einzeiligen Vorschriften.

4. Rechnen.

2\. Grundklasse. (Lehrer Böck, 6 St., erstes Rechenheft von Wulkow): Die Uebungsreihen und die 4 Species in gleichbenannten Zahlen. Multiplication und Division mit einstelligem Multiplicator und Divisor.

1\. Grundklasse. (Lehrer Lewerenz, 4 St., zweites Rechenheft von Wulkow): Die 4 Species in mehrfach benannten Zahlen. Zuvor Erweiterung der Multiplication und Division.

5. Deutsche Sprache.

2 Grundklasse. (Lehrer Böck, 2 St.): Auf die erste Abtheilung beschränkte orthographische Uebungen durch Abschriften aus dem Lesebuche. Die ersten grammaticalischen Vorbegriffe.

1\. Grundklasse. (Lehrer Pehl, 4 St.): Die Wortarten und deren Flexion. Orthographische Uebungen theils durch Abschriften aus dem Lesebuche, theils durch Dictate.

6. Gesang.

2. Grundklasse. (Lehrer Böck, 2 St.): Vorübungen im Singen der Tonleiter, leichte Choräle und Lieder nach dem Gehöre.
1. Grundklasse. (Lehrer Pehl, 2 St.): Fortgesetzte Uebungen im Singen der Tonleiter und des Dreiklanges. Leichte Choräle und Lieder, vorherrschend nach dem Gehöre.

7. Geographie.

1. Grundklasse. (Lehrer Pehl, 2 St.): Die ersten Vorbegriffe in Weise der Denk- und Sprechübungen. Heimathskunde.

Vertheilung der Lehrstunden im Progymnasium und dessen Grundklassen.

	II.	III.	IV.	V.	VI.	Erste Grundkl.	Zweite Grundkl.	Summa
1. Schmeckebier, Director, Ordin d. II.	Religion 2 Latein 9 Griechisch 6		Englisch 2					19
2. Dr. Kirchner, Oberlehrer, Ordinarius der III.	Französisch 2	Latein 8 Griechisch 6 Französisch 2 Deutsch 2	Mathem. 3					23
3. Dr. Weichelt, Oberlehrer, Ordinarius der IV.	Deutsch 2 Geschichte 2 Geographie 1	Geschichte 2 Geographie 1 Latein 1	Latein 9 Französisch 3 Geschichte 2					23
4. Kotelmann, Conrector.	Hebräisch 2	Religion 2	Religion 2 Rechnen 2 Naturgesch. 2	Religion 3	Latein 10			23
5. Seltmann, Progymnasiallehrer.	Mathem. 4 Physik 2 Englisch 4 Chemie 2	Mathem. 4 Naturgesch. 2 Englisch 4	Geographie 1					23
6. Dr. Appelmann, Ordinarius der V.			Deutsch 2 Griechisch 6	Latein 9 Französisch 3 Deutsch 4				24
7. Lewerenz, Ordinarius der VI.				Rechnen 3 Geographie 2 Geschichte 2	Religion 3 Deutsch 5 Rechnen 4 Geographie 2	Rechnen 4		25
8. Pehl, Ord. der 1. Grdkl.	Turnen.			Schreiben 2	Schreiben 4	Die sämmtl. m. Ausnahme des Rechnens.		28
9. Böck, Ord. der 2. Grdkl.	Zwei Inspectionsstunden über die Arrestanten.						Die sämmtlichen Stunden.	28
10. Crell, Zeichenlehrer.	Zeichnen 2. Außerdem am Sonnabend Nachmittag 2 freie Zeichenstunden.			Zeichnen 2	Zeichnen 2			8
11. Goltzsch, Gesanglehrer.	Gesang 2			Gesang 2	Gesang 2			6

II. Chronik der Anstalt.

Das Schuljahr wurde auf Grund besonderer Genehmigung des Königlichen Provincial-Schulcollegiums Donnerstag, den 25. April eröffnet. Es haben während desselben die nachstehenden Ferien stattgefunden:

1. Pfingstferien: von Sonnabend, den 8. Juni, bis Mittwoch, den 12. Juni, incl.
2. Sommerferien: von Donnerstag, den 11. Juli, bis Mittwoch, den 7. August, incl.
3. Herbstferien: von Sonnabend, den 28. September, bis Montag, den 7. October, incl.
4. Weihnachtsferien: von Sonnabend, den 21. December 1867, bis Donnerstag, den 2. Januar 1868, incl.
5. Osterferien: In Folge besonderer Verfügung wird das laufende Schuljahr Freitag, den 3. April, geschlossen werden und der Unterricht Freitag, den 17. April, wieder beginnen.

Außerdem fiel der Unterricht an folgenden Tagen aus:

1. Freitag, den 5., und Sonnabend, den 6. Juli, zum Zwecke einer ausgedehnteren Turnreise.
2. Dienstag, den 9. Juli, wegen der Einweihung der im Restaurationsbaue vollendeten Bartholomäikirche.
3. Sonnabend, den 31. August, wegen der Wahlen zum norddeutschen Reichstage.
4. Mittwoch, den 30. October, wegen der Wahlen zum preußischen Abgeordnetenhause.
5. Donnerstag, den 28. November, wegen der Stadtverordneten-Wahlen.

Der Jahrestag der Schlacht bei Königgrätz ist von der Anstalt in ihrem Kreise festlich begangen worden. Die Festrede hielt der Oberlehrer Herr Dr. Kirchner, an diese schloß sich der Vortrag vaterländischer Gesangstücke und Declamationen von Seiten der Schüler.

Am Tage der Reformationsfeier gingen, wie bereits seit einer Reihe von Jahren, die Lehrer der Anstalt zusammen mit den eingesegneten Schülern zum heiligen Abendmahle.

Die auch in unserer Stadt im Laufe des Winters vielfach zu Tage getretenen Nothzustände gaben die Veranlassung zu einer am Geburtstage Friedrichs des Großen gegen Entrée zu veranstaltenden musicalisch-declamatorischen Vaterlandsfeier, die in ihrer durch Festreden, durch musicalische und Gesangesproductionen und durch den Vortrag theils anderweitig entlehnter, theils von dem Berichterstatter gelieferter Gedichte constituirten Mannichfaltigkeit in der Einheit des Grundgedankens von Seiten der zahlreich versammelten Bürgerschaft die freundlichste Aufnahme fand und die Schüler durch das Bewußtsein, auch ihrerseits zur Linderung der Noth ihr Schärflein beigetragen zu haben, sichtlich erhob.

Zur Vorbereitung auf die kirchliche Feier des Geburtstages Sr. Majestät fand in der Aula der Anstalt während der letzten Schulstunde am 21. März eine gemeinsame Schlußandacht statt, an welche sich ein mit dem Gesange von Vaterlandsliedern abwechselnder Vortrag des Berichterstatters, betreffend den historischen Verlauf des Uebergangs der Provinz Pommern an das Haus Hohenzollern und dessen Wichtigkeit, sowie die hohe Berechtigung der Feier des Geburtstages unsers königlichen Herrn, anschloß.

Was den Gesundheitszustand, der während des verflossenen Schuljahres in der Anstalt herrschte, betrifft, so war derselbe sowohl auf Seiten der Schüler, als im Ganzen auch auf Seiten der Lehrer, als günstig zu bezeichnen. Um so mehr bedauern wir die schwere Erkrankung des Zeichenlehrers Herrn Crell, welche denselben das ganze Wintersemester hindurch außer Stand setzte, seinen Amtspflichten nachzukommen. Wir dürfen voll Hoffnung seiner vollständigen Genesung beim Eintritte der wärmeren Jahreszeit entgegen sehen. Seine Vertretung ist mit Genehmigung des Königlichen Provinzial-Schul-Collegiums durch den Maler Herrn Wichmann, einen frühern wackeren Schüler der Anstalt, bewerkstelligt worden.

Die Frequenz der Anstalt war nachstehende:

	II.	III.	IV.	V.	VI.	Erste Grundkl.	Zweite Grundkl.	Summa.
Sommersemester	17	30	35	42	43	35	25	227
Wintersemester	17	35	27	46	43	24	27	219

Schließlich gedenken wir voll Dank des Beschlusses der städtischen Behörden, das Progymnasium nunmehr zu einem vollen Gymnasium zu erweitern; der Ausführung dürfen wir mit Gottes Hülfe im Laufe des nächsten Schuljahres entgegen sehen.

Die Aufnahme derjenigen Kinder, welche mit dem Beginne des neuen Semesters in das Progymnasium und dessen Grundklassen eintreten sollen, findet Donnerstag, den 16. April, von 9 bis 12 und von 2 bis 4 Uhr im Directoratszimmer des Progymnasialgebäudes statt.

Beim Wiederbeginne des Unterrichtes sind von den Schülern die für das letzte Quartal ausgehändigten Zeugnisse, von den Eltern oder deren Stellvertretern unterschrieben, den Klassenordinarien vorzuzeigen.

Ordnung der öffentlichen Prüfung.

Donnerstag, den 2. April, Vormittags von 9 bis 1 Uhr.

1. **Gesang und Gebet.**
2. **Gegenstände der Prüfung:**
   Sexta: Religion (Progymnasiallehrer Lewerenz).
   Quarta: Naturgeschichte (Conrector Kotelmann).
   Tertia: Latein (Oberlehrer Dr. Kirchner).
   Secunda: Deutsch (Oberlehrer Dr. Weichelt).
3. **Declamation und Gesang.**
4. **Kurze Pause.**
5. **Gegenstände der Prüfung:**
   Quinta: Französisch (Progymnasiallehrer Dr. Appelmann).
   Quarta: Geschichte (Oberlehrer Dr. Weichelt).
   Tertia: Mathematik (Progymnasiallehrer Seltmann).
   Secunda: Griechisch (Director Schmeckebier).
6. **Declamation und Gesang.**
7. **Prämienvertheilung und Schlußgesang.**

Text des einleitenden und des schließenden Chorales:

1. Vor der Prüfung:

Dir, Dir, Jehova! will ich singen;
Denn wo ist doch ein solcher Gott, wie Du?
Dir will ich meine Lieder bringen,
Ach, gieb mir Deines Geistes Kraft dazu,
Daß ich es thu' im Namen Jesu Christ,
So, wie es dir durch ihn gefällig ist.

Zieh' mich, o Vater, zu dem Sohne,
Damit Dein Sohn mich wieder zieh' zu Dir;
Dein Geist in meinem Herzen wohne,
Und meine Sinne und Verstand regier',
Daß ich den Frieden Gottes schmeck' und fühl'
Und dir darob im Herzen sing' und spiel'.

2. Nach der Prüfung:

Ach, bleib mit deiner Gnade
Bei uns, Herr Jesu Christ,
Daß uns hinfort nicht schade
Des bösen Feindes List.

Ach, bleib mit Deinem Segen
Bei uns, o reicher Herr!
Dein Gnad' und all's Vermögen
In uns reichlich vermehr'.

Ach, bleib mit Deiner Treue
Bei uns, mein Herr und Gott!
Beständigkeit verleihe,
Hilf uns aus aller Noth